


G.K.
178, 42.

Za
6580

REDITVS IN PATRIAM
CVM
EWALDO FILIO

CARMEN ELEGIACVM
QVOD
SOCIETATI LITTERARVM
QVAE
IN LVSATIA SVPERIORI FLORET
PIE HVMANITERQVE OFFERT
IOANNES FRIDERICVS DIETRICH
SEREN. ELECT. SAXON. A CONSIL. COMMISS. NEC NON
PRAEF. HAYNENS. ET MAVRITIOBVRGENSIS.



DRESDAE,

TYPIS HENR. GVIL. HARPETERI.



H.
179

REPTVS IN PATRIAM
CVM
EWALDO FILIO

CARMEN ELEGIACVM

OVOD

SOCIETATI LITTERARVM

OVAB

IN EVANGELIO SYMBOLICI SCRIPTI

THE HANNOVERIAN VERMERE

LOANER TRINOVVS DITTOH

FOR OFFICE & COPY TO COMIT & FOR
SMALL LIBRARY TO HANNOVERIAN VERMERE

1811



PRAESES

ILLVSTRISSIME

GENEROSISSIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI

LITTERATVRAE PATRIAE


FAVTORES

Redeuntem me ante hunc annū in patriam, conspicientemque iam cominus turres Gorlicenses, tam suavis subito affecit et velut abripuit iucundissimae voluptatis sensus, ut facere plane non possem, quin statim, pugillaribus in manus sumtis, vno alteroue versiculo gaudium meum sermonesque cum filiolo collatos, impetu magis quam delectu, exprimere vtcunque conarer. Fieri quidem solebat, ut tum, cum per aliquot dies in villa Moysina suauiter delitescerem, alia adderem, alia mutarem: sed subitaneum illud et temere effusum, quod semel distichis meis adhaerebat, dissimu-

lari satis non poterat; neque placebat quidem, opusculo tam pro-
perato curiosorem admouere limam, atque maiorem expoliendi quam
fabricandi operam impendere. Ne vero mirari VOS subeat, quid
sit, quod VOBIS, VIRI de Patria reque litteraria meritiissimi,
nihilominus hasce minutias officiose reuerenterque dicatas voluerim,
id vnum me, scitote, egisse, vt VOBIS quodammodo significarem,
quantopere suspiciam communem nostram patriam, quibus in deli-
ciis et amoribus mihi sit GORLICIVM, quamque religiose inuio-
lateque Virorum, quibus florentissima haec Vrbs vel enituit quon-
dam, vel hodie enitet, memoriam seruem. Hoc sane, nisi me
omnia fallunt, sat erit, a VOBIS, si non propositi laudem, at
veniam certe et indulgentiam, quae ipsa mihi pro laude erit, im-
petrare. Scr. Haynae mens. Quintil. c1516cclxxxxiii.



Salue,



Salue, Terra parens! patrii saluete Penates!
Salue, Nissiadum Gens veneranda, mihi!
Fallor? an euigilo somno velut excitus alto,
Insolitusque redit corpus in omne vigor?
Ipse mihi videor vitali redditus auræ,
Aethereaque poli iam regione frui.
Mens rediuiua mihi longa ceu morte resurgit,
Ut redeunte solet furgere vere, seges.
Namque tuas speculas dilecta que moenia cerno,
GORLICIVM! o patrii Gemma Decusque soli!
Audio deque tuis templis et turribus altis
Grandia magniloquis aera tonare fonis.
Ipsa salutatum reducem me velle videntur,
Et mugire graui murmure: *rursus aue!*
Omnia nota mihi: muri fossaeque viaeque,
Tuque, olim turris maxima, facta minor!

Vix tamen agnossem, tua perreuerenda vetustas
 Ni mihi per fucum perspicienda foret.
 Fulminis, heu! nimium regionibus ante propinqua,
 Iussa Patrum curâ es ponere grande caput.
 Sic, qui purpureis audacter proximus aulis
 Nunc erat, e summis saepius ima petit. —
 Ingredior portas: oculis, en! protinus adstant
 Curia cum Circo, *) Scena, **) Palaestra, Forum. —
 O quam me dulcis totum circumfuit aer!
 Quam calet exultans pectus amore mihi!
 Quam niter occiduis patriae sol pulchrius vrbi,
 Quam velut auricomo vertice recta rubent!
 Purior hic manat coeli de fontibus aether,
 Vberiusque suas terra repandit opes. —
 Huc ades, o dulcis Fili, quo carior alter
 Nec mihi natus erat, nec mihi natus erit.
 Huc ades, EWALDE, et mecum mea gaudia senti,
 Si sentire potes gaudia tanta, puer!
 Tu procul a patria mecum loca grata salutas,
 Inque patris patriam, me comitante, venis.
 Vicit iter longum, quamuis Tibi saepe timerem,
 Sive mei studium, seu nouitatis amor.

Sospes

*) Untermarkt.

**) Salzhaus, quod aedificium olim ludis scenicis patuit.

Sospes ouansque viae superasti multa pericla;
 Iam dabitur requies otiolumque Tibi.
 Adspice, gramineas Nissae labentis ad oras,
 Ut tumet aduerso litore*) collis apex?
 Huc igitur paullum reside, dum solque diesque,
 Vdaque frigiduli vespersis aura sinant.
 Hinc deflecte oculos longe lateque per urbem,
 Ut meliusque queas, accipe dicta patris.
 Haec, quam Tu reliquas praecellere culmine cernis,
 Haec domus est, quam me progenuisse scias.
 Hanc Atausque Atauique Tui venerabilis Vxor,
 Incoluitque meus cum Genitrice Parens.
 Candor ibi morum, probitas, reuerentia Diuûm,
 Et sine labe fides, et sine lite quies.
 His solis opibus patrii valere Penates;
 Hae nobis artes, hic fuit vnus honor.
 Hortulus, ad triplicis valli munimina spectans,
 Aedibus adiacuit, flore pyrisque virens.
 Defensus nimio sole, impendentibus umbris,
 Aptus erat pueri lusibus atque iocis.
 Nunc libuit cursu leuibus decernere plantis,
 **) Nunc pila, nunc celeri voluitur orbe trochus.

Saepe

*) Rabenberg.

**) Ovid. Trist. Libr. III, Eleg. XII.

Saepe etiam, multum grauiusque monente magistro,
 Hortulus ille fuit docta palaeſtra mihi.
 Non ſine ſudore, heu! quamquam impendentibus umbris,
*Menſa,**) Liber, Nomen, diſcitur, Hortor, Amo!
 Sic mihi, proh! nimium ſubito primaeva iuuentus,
 Multaque laetitiae tranſiit hora breuis.
 Tranſiit hora breuis, nulla reparabilis arte;
 Aeſtas ver ſequitur, iamque ſequetur hiems.
 Adſpicias a dextra templum ſublime, vetuſtum,
 Erectum binis turribus, aere nitens?
 Quam ſacer horror ineſt! Quam praeſens Numen, et intus
 Quam retinent trepidos atria ſancta pedes!
 Marmoreis furgit ſpatioſior Ara columnis,
 Sole**) repercuſſo fulgida, vt orta dies.
 Hic ego ſum primum ſariatus Corpore Chriſti,
 Purpureique calix Nectaris ora rigat.
 Deſpicit elata Genitor de parte, pioque
 In mea vota ſuas miſcet amore preces.
 Quem ſimul adſpexi, pariterque agnouerat Ille,
 Deſluit e noſtris plurima gutta genis.

Sic

*) Meminerit Lector, me cum puerulo ludere.

**) Lamina aurata, pone Altare poſita, miram deſuper affundit lucem picturae,
 Aſcenſum Chriſti repraeſentanti.

Sic inter lacrimas atque inter vota parentis
 Mille salutiferas haurio mentis opes.
 Hic quoque facundo pendebam crebrius ore,
 Siue tuo, SCHVLZI, siue, HEDELVPHE, tuo.
 Quam meminisse iuuat vestri! quam dogmata sancta
 Erranti fuerant faxque Pharusque mihi!
 Molliter ossa cubent vestra, illacrimentque sepulcris
Religio, Pietas nec labefacta Fides! —
 Quis mihi demulsit coelestis saepius aures,
 Percussitque sacro corda tremore, sonus?
 Machina clara tubis, variis distincta figuris,
 Mole gigantea ponderibusque potens:
 Machina, magnifici decus admirabile templi,
 Innumeras linguas docta, canenda mihi est.
 Quicquid homo sentit, meditatur, sperat et horret,
 Exprimit: in promptu sunt dolor, ira, iocus.
 Nunc fremit et mugir; reboasse tonitrua coeli
 Mille putes: sonitu testa solumque tremunt.
 Nunc quoque, sedato, sensim mollita, tumultu,
 Mellifluo cantu saxea corda domat.
 Tum tenera humanas imitatur voce loquelas
 Suspiratque piis questibus: AGNE DEI!
 Iam velut ereptum sibi lamentatur amicum,
 Et tremulos gemitus, ceu moritura, ciet.

Damna tamen reparat lux postera: cura dolorque
 In noua se vertit gaudia ouansque melos.
 SVRREXIT CHRISTVS! resonant clanguntque tubarum
 Cornua; spiritibus cymbala mota strepunt.
 Fit fragor insolitus, centumque tonantia pandunt
 Ora Redemptoris facta stupenda Dei.
 Tot, simul Artificis*) manibus pedibusque animantur
 Organa, mirificos dant variantque modos. —
 Prominet a laeua turris, minitata ruinas,
 Turbine ventorum concita, iuncta Scholae.
 Haec Schola bis quatuor mihi culta est nauiter annis;
 (Vix totidem menses hebdomadasue putem.)
 Ipsa mihi visa est fieri Parnassia rupes,
 Scalaque gloriolae, si qua futura, meae.
 Praefuit huic olim rara cum laude fideque,
 Vir meritisque valens, ingenioque vigens.
 BAVMEISTERVS erat, cui praedixere Camenae
 Nascenti: *Iuuenes instrue, pasce, rege!*
 Hic**) me Pegafidas primus deduxit ad vndas,
 Ausoniaeque lyrae duxque comesque fuit.
 Hic sua saepe mihi, pariter sibi nostra legebam
 Carmina: nec caruit versibus vlla dies.

*) Quis est, cui nomen Bacchii Gorlicensis lateat?

**) Ouid. Trist. Lib. III. El. VII.

Alternis

Alternis vicibus sic decertauius ambo,
 Arcadiusque senex, Arcadiusque puer.
 Sed, quanto coryllis maior viret ardua cedrus,
 Sic minor ingenio et dotibus impar eram.
 Postera quaeque pios cineres venerabitur aetas,
 Gorliciumque decus concinet vsque suum!
 Ipse suis bustis lacrimas et vota litabo,
 Et tumulo spargam lilia mista rosis. —
 Iamque salutatus mihi sis, NEVMANNE! secutus
 Quemque es, si fas est vincere, vince Virum!
 TV mihi, quid rectum, monstrasti, quidque venustum,
 Et, quae sit Latio dictio digna solo?
 TE duce, subuersas vrbes iterumque renatas,
 Regnorum varias edidicique vices.
 Quicquid erat sciri dignum discique salubre,
 Vt scirem, iuueni suafor et auctor eras.
 Hos elegos igitur sumas pro munere, quamuis
 Gratia par meritis nesciat esse TVIS!
 Nec TE praeteream, PETRI venerabilis, et TE,
 HORTZSCHANSKI! o animo nomina cara meo!
 TVque, mihi primos inter memorande, sacrarum
 Rerum, STERNBERGI! nobile fidus, aue!
 TE colo, TEque colam, dum spiritus hos reget artus,
 Nec TVA dilabi munera mente finam! —

Ha 6580 OK

X2975 417


v. D. 18

12

O quantum libeat fidibus cecinisse sonoris
Tot dignos omni posteritate Viros!
Quae pietas, candor! quae sedula cura fidesque,
Morumque integritas ingenique decus!
HOS, *Ewalde*, VIROS si conspexisse licebit,
HOS venerare Patris (sic iubet Ipse) loco!
HIS, *Tibi* si quando faueat Romanus Apollo
(Nam mihi iam vires languida Musa negat)
HIS Tu, si qua mei resider reuerentia, iusti
Si quis amor, meritis carmina digna canas.

At, nisi decipior, nox imminet humida terris,
Et tremulo Phoebes lumine Nissa nitet.
Parua viae restat nobis mensura terenda:
Plus alio, si vis, erudiere die.
Villa salutanda est nobis *Moyssna*: valete,
Moenia *Gorlicii*! Collis amice, vale!





B.I.G.

Farbkarte #13

Q.K.
178,42.

Za
6580

REDITVS IN PATRIAM
CVM
EWALDO FILIO

CARMEN ELEGIACVM
QVOD
SOCIETATI LITTERARVM

QVAE
IN LVSATIA SVPERIORI FLORET

PIE HVMANITERQVE OFFERT

IOANNES FRIDERICVS DIETRICH

SEREN. ELECT. SAXON. A CONSIL. COMMISS. NEC NON
PRAEF. HAYNENS. ET MAVRITIOBVRGENSIS.



DRESDAE,
TYPIS HENR. GVIL. HARPETERI.

